ANONYMUS

Vita sancti Heinrici regis et confessoris

SABBATISMUS

Anonymus (c. 1147)
Vita sancti Heinrici regis et confessoris

Textus latinus: in dominio publico.
Translatio, concordantia et editio © 2026 Inversiones San Juan Diego (Sabbatismus). Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0).

Sabbatismus: officina editoria fundationis Inversiones San Juan Diego, San Pedro Sula, Honduras.
Litteris EB Garamond et Cinzel compositum.
sabbatismus.com

VITA SANCTI HEINRICI REGIS ET CONFESSORIS

1

Anno ab incarnatione domini millesimo primo, ab urbe autem condita millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Ottone puero Rome defuncto, vacante regni solio, cum de principe subrogando ageretur, omnium vota nutu divino ad eum inclinantur, qui tum in regno habebatur potissimus. Fuit namque per idem tempus dux Bauuariomm Heinricus tam bonitate quam nobilitate regia conspicuus et universa morum honestate preclarus. Hic inicium sapientię, timorem domini, pleniter secutus est, quia erat omni literarum studio principaliter imbutus et totus sane fide et actu catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto et communi consensu in regnum asscischitur divina utique disponente clementia, ut per temporalis regni fastigia ad culmen cęlestis regni pertingeret. Terrena enim bona omnia, sicut usu malo alios a salute prępediunt, ita alios usu bono ad salutem promovent.

2

Cui necdum cęaris vel imperatoris dignitatem obtinenti apparuit Ratispone sanctus Vuolfgangus in somnis visione tali. Visum namque est ei, quod manens in sancti Emmerammi ęcclesia accederet orandi gratia ad beati Vuolfgangi sepulchrum in eadem ęcclesia situm. Cumque ibidem deum sanctumque Vuolfgangum precibus inti-

mis conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus astare et huiusmodi verbis ipsum appellare: „Intuere diligenter literas in muro, qui est secus tumulum meum, scriptas". Erat autem ibi, sicut videbatur, scriptum solummodo: Post sex. Evigilans vero Heinricus rex tractatione diuturna secum revolvit paucissima huius visionis scripta. In primis ergo arbitratus, quod post sex dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus. Cum autem sex dierum numerus prę̨teriret et nichil in se corporalis molestię̨ sentiret, putavit ad sex menses pertinere et eadem cę̨pit timere. Transacto vero et huius numeri spacio nichilque in se infirmitatis passus, arbitratus est hunc numerum ad sex annos pertinere ideoque quę̨ et supra cę̨pit timere. Cumque sex annorum numerus integer pertransisset et septimi anni dies revolutus venisset, ipso die cę̨saris dignitatem per apostolicam suscepit consecrationem. Tunc tandem sentiens, qualis esset sua visio, gratias egit deo sanctoque Vuolfgango, qui sibi talem revelare dignatus est sublimitatem.

3

Unctus igitur in regem beatissimus dei famulus temporalis regni non contentus angustiis pro adipiscenda immortalitatis corona summo regi, cui servire regnare est, militare disposuit. Summam etenim diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit; ę̨cclesias ditare possessionibus et immensis ornatibus augere cę̨pit. Sedes autem episcopales, Hiltensheim, ubi a puero enutritus et literas edoctus fuit, Magdeburch, Ar-

gentinam, Missenam et Merseburch, quę barbarica immanitate adiacentium Sclavorum vastatę fuerant, restauravit et tam ipsis quam aliis episcopatibus per universum regnum in possessionibus et ornatibus innumerabilia contulir. [Hiltensheimensibus vero sanctum Gotehardum divina edoctus revelatione prędecit.]

Quid autem Merseburgensi ęcclesię specialius prę aliis contulerit, futurorum caritati volumus ex parte notificare. Hęc etenim ęcclesia tempore magni Ottonis – illius, inquam, qui ad Licum flumen sub sancto Ŏdalrico confessore Ungaros prostravit et reges eorum, Lelium videlicet et Assur, Ratispone principibus hoc fieri adiudicantibus in patibulo suspendit – assiduis incursionibus et hostili vastatione Sclavorum ad nichilum redacta est. Et quia violentiis vicinarum nationum non poterat resistere, in possessionibus, in religione et in omnibus, quę ad pontificalem dignitatem pertinebant, penitus cępit deficere. Accidit autem, ut eodem tempore Magdeburgensis ęcclesię archiepiscopus viam universę carnis ingrederetur, et Merseburgensis prędsul propter sapientiam sibi a deo collatam et propter multas virtutes, quibus adornatus erat – ob quas etiam Ottoni magno gratissimus extitit –, in cathedram Magdeburgensem prędicto rege id efficiente preponeretur. Factum est autem, ut Merseburgensis episcopatus penitus destrueretur et, quę potiora erant illius ecclesie in prędiis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis ęcclesię transferrentur et de quibusdam reliquiis possessionum, quę Merseburch remanserant,

abbatia inibi construeretur. Quod factum usque ad tempus pii confessoris Christi Heinrici immutatum permansit. Cum autem isdem rex convocatis principibus regni sui Chŏtelingenburch curiam celebrasset, universis in id ipsum consentientibus Poloniam et Boemiam cęterasque Sclavorum adiacentes regiones, quę fines regni sui vastabant, debellare disposuit.

4

Congregato itaque exercitu contra prędictas nationes aciem direxit et faciens transitum per locum, qui Vualbech dicitur, gladium sancti Adriani martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi servabatur, accepit. Quo accinctus ex toto corde suo clamavit et dixit: „Iudica, domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum et exurge in adiutorium michi." Inde progressus castra metatus est in campo, ubi Merseburgensis ęcclesia sita est, et videns locum desolatum et in nichilum redactum ingemuit et ait: „Beate Laurenti, martyr Christi, si tuo interventu has barbaras nationes, ad quas pergo, Romano imperio et christianę religioni subiugavero, hunc locum desolatum tuo nomini consecratum divina favente gratia in pristinę dignitatis statum reformabo."

Ut vero principes Polonię et Boemię cęterarumque Sclavicarum gentium primates Romanum imperatorem cum exercitu ad debellandos eos advenire cognoverunt, innumerabili multitudine barbarorum collecta in bellum ei obviam

processerunt. Quod pio regi per speculatores suos cito innotuit, et, sicut in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Invocatoque super se nomine domini beato Laurentio et beato Georgio et beato Adriano martyribus se suumque exercitum protegendum cum summa devotione commisit. Et cum omnes perceptione corporis et sanguinis domini confortati fuissent, ad locum certaminis venerunt. Ubi cum rex beatus verbis exhortatoriis ad viriliter agendum singulomm animos erexisset vidensque adversariorum innumerabilem multitudinem clamavit ad dominum et ait: „Deus, qui conteris bella ab inicio, eleva brachium tuum super gentes, quę cogitant servis tuis mala. Disperge illos in virtute tua et destrue eos, protector meus. Pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti." Hęc dicens aperti sunt oculi eius, et vidit glorioses martyres, Georgium videlicet, Laurentium, Adrianum, cum angelo percutiente exercitum suum pręcedentes et hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Sennacherib ab angelo percutiente contritus est et periit, ita omnis ista barbarorum multitudo per virtutem dei contrita proiectis armis sine effusione sanguinis christianorum fugę pręsidium quesivit. Quo viso rex sanctus elevatis oculis ac manibus in cęlum benedixit deo cęli et ait: „Benedico te, rex cęli et terrę, qui superbis resistis et humilibus das gratiam, qui custodis diligentes te et glorificatus es in gentibus propter datam nobis de cęlo victoriam." Victis ergo barbaris et, quę ad futuram pacem prodesse poterant, firmissima pactione

stabilitis vir beatus cum suis in sua redierunt cum pace glorificantes et laudantes deum, qui salvat sperantes in se.

5

Cumque christianissimus rex Poloniam, Boemiam, Moraviam tributarias fecisset, ob reverentiam sancti Laurentii martyris conculcationem et destructionem Merseburgensis ęcclesię cępit pio intuitu misericordię et pietatis respicere et ad nichilum redactam in edificiis, in ministerialibus, in sęcularibus possessionibus, in ecclesiasticis ornamentis, inpristinum gradumpontificalis dignitatis, sicut deo et sancto Laurentio voverat, studuit restaurare. Nec prius ab operibus misericordię destitit, quoadusque eam ad antiquum statum dignitatis et pristinum honorem religionis ex integro perduceret.

6

Denique episcopatum Babenbergensem ex integro in suo domate fundavit, terminis videlicet ab adiacentibus episcopatibus legitimo concambio commutatis. Eundem vero episcopatum principibus apostolorum Petro et Paulo et preciosissimo martyri Georgio adtitulatum speciali iure sanctę Romanę ęcclesię contradidit, ut et primę sedi debitum divinitus impenderet honorem et suam plantationem tanto patrocinio firmius communiret. In meridiana quoque parte civitatis monasterium in honore sancti Stephani protomartyris sub ordine canonico construens,

ex altera vero, hoc est aquilonari, aliud monasterium sub monachili regula in honore sancti Michahelis archangeli sanctique Benedicti abbatis constituens, sibi suęque civitati supra petram apostolicę firmitatis fundatę muroque et propugnaculis meritorum sancti Georgii cęterorumque sanctorum munitę ac exornatę, contra incentivos viciorum iactatus turrim fortitudinis in Stephano et contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, unde malum omne pandetur, sedem ponere disposuit, refugium certum in angelico preparavit presidio, ut a dextris et a sinistris iusticię armis vallatę in nullo sufficiat insidiator prevalere.

7

His tribus ęcclesiis postea per Guntherum, eiusdem Babenbergensis sedis quartum pręsulem, et per Reginoldum, quendam virum nobilem, addita est quarta ęcclesia in honore sancte Marię matris domini et sancti Gingolfi martyris extra urbem versus orientem in loco Tierstat sub ordine et professione canonica. Denique sextus eiusdem sedis episcopus Hermannus extra urbem versus occidentem in honore sancti Iacobi apostoli, filii Zebedei, ęcclesiam sub ordine canonico iniciavit. Hanc Otto, humilis amator pauperum Christi, octavus eiusdem sedis episcopus, cooperante Eberharde prępposito consummavit et dedicavit ac stipem ordinemque illic deo servientium decenter disposuit. Sic locus Babenbergensis ęcclesiis et patrociniis sanctorum in modum crucis undique munitus Christo Iesu crucifixo

cottidianum et sedulum celebrat officium et servitium pro primo suo fundatore, Heinrich secundo, imperatore piissimo, eiusque cooperatoribus et successoribus velaugmentatoribus omnibus. Et ut inibi militantibus domino maior tranquillitas et securitas ac reverentia ad supplicandum deo perseveret, prędictę quinque ęcclesię sic sunt locatę, ut fere ab omni strepitu et tumultu forensi ac populari sint decentissime segregatę.

8

Ut autem cunctis liquidius enitescat, qua vigilantia vir beatissimus novellę suę ęcclesię bona pacis et tranquillitatis etiam per succedentia tempora providerit, aliquas hic tam episcoporum quam regum inserimus confirmationis epistolas, ut, quia duo sunt, quibus hic mundus principaliter regitur, pontificalis auctoritas et regalis potestas, ex utroque horum a dextris suffulta et sinistris ab omnium molestia infestationum secure monstretur in perpetuum defensa. Dicente enim domino salvatore duos ęcclesię gladios sufficere, quorum unus, id est verbum dei, usque ad divisionem animę ac spiritus penetrat, alter, id est materialis, inflexibilia et dura corda rigore suo domat et premit, quicquid eorundem gladiorum iure hinc inde munitur, constat profecto, quod nullius mali incursione ab status sui rectitudine labefactatur. Prius tamen hic cartam Ottonis tercii imperatoris pręscribimus, ut scire volentibus, qualiter ipse locus Babenbergensis in ditionem sancti regis obvenerit, ex eadem conscriptionis pagina colligatur:

In nomine sancte et individuę trinitatis. Otto divina providentia imperator augustus. Noverint omnes nostri fideles pręsentes scilicet et futuri, qualiter nos ob interventum dilectissimę genetricis nostrę Adelheidę, caro nepoti nostro Bauuariorum duci Heinrico quoddam iuris nostri prędium, civitatem videlicet Babenberc nominatam, cum omnibus ad hanc respicientibus et eo in servitium versis et Nendilin Uraha in comitatu Berhtoldi comitis Volcfelt nuncupat(o) sita nostra imperiali potentia in perpetuę usum proprietatis concessimus firmiterque donavimus cum utriusque sexus mancipiis, ędificiis, ęcclesiis, terris cultis et incultis et cum omnibus iure legaliterque ad hęc iam dicta prędia pertinentibus, eo tenore ut liber(o) ipse deinceps perfruatur arbitrio hęc tenendi commutandi dandi posteris relinquendi seu quicquid sibi libuerit inde faciendi. Et ut hoc nostrum preceptum stabilius firmiusque permaneat, hanc cartam inscribi iussimus anuloque sigillatam propria manu nostra roboravimus. Data V. Kal. Iulii, Indict. Iª, anno regni domni Ottonis XIIIº, imperii autem VIIº.

9

Anno igitur ab incarnatione domini M. VIIº, Indict. Vª, in Kalendis Novembris magna synodus episcoporum aliorumque patrum habita est et celebrata in villa regia Frankenvurt mediante rege magno et pacifico Heinrico anno regni sui VIº. Nam dum idem deo devotus rex alta mentis consideratione secum volveret, in quo potissimum opere dei misericordiam sibi facilius

conciliaret, divini instinctu consilii inspiratus disposuit, ut deum sibi heredem eligeret et conscriberet et episcopatum Babenbergensem, ut pręscriptum est, ex rebus hereditariis construeret, ut et paganismus Sclavorum ibi destrueretur et christiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur. Sed cum barrochiam ad eandem sedem respicientem non haberet et sanctum pentecosten in eodem regni sui anno Mogontię celebraret, partem Wirziburgensis dioceseos, comitatum videlicet Ratenzgǒwe dictum, et partem pagi Volcvelt dicti inter fluvios Uraha et Ratenza sita(m), ab Heinrico Wirziburgensi episcopo firma ac legali traditione acquisivit tradens econtra Wirziburgensi ęcclesię C L mansos in vico Meinungun dicto et in proxime adiacentibus locis consentientibus et concurrentibus in hęc vota illius Heinrico Wirziburgense et Willigiso Mogontię metropolis archiepiscopo multisque, qui pręsentes fuerunt, archiepiscopis et episcopis legitimum hoc concambium attestatione sua et subscriptione roborantibus.

Gloriosissimus vero rex compos voti effectus pari supradictorum patrum consultu duos ex capellanis suis, Albericum et Ludeuuicum, adiunctis Wirziburgensis episcopi literis Romam usque direxit, quatenus bene hic cepta in melius proficerent auctoritate apostolica. At Romanus pontifex et universalis papa Iohannes piissimi regis devotioni congaudens habita in sancti Petri basilica synodo pro confirmando episcopatu Babenbergensi privilegium fecit conscribi et apostolica auctoritate firmari universis Gallię et Germanię

episcopis rescribens, ut et ipsi pari communique auctoritate prędictum episcopatum roborarent. Cuius videlicet privilegii exemplar in hunc modum se habet:

Iohannes episcopus, servus servorum dei. Officii nostri est omnium sanctarum dei ęcclesiarum commoda generaliter considerare et maxime earum, quę specialiter sub iure ac dominio nostrę Romanę ęcclesię consistunt, si quod est, incommodum abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectę vilescant vel qualibet nacta occasione debita sollempnitate careant. Propterea omnibus sanctę dei ęcclesię fidelibus, pręsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quia dilectus et spiritalis filius noster Heinricus, gloriossisimus atque invictissimus rex, divina inspirante clementia de propriis hereditariis rebus pro sua suorumque parentum anima episcopatum in loco, qui dicitur Babenberc, perfectę fidei et caritatis devotione in honorem beatissimi Petri apostolorum principis esse constituit, commutatione facta iure ac legaliter cum Heinrico Wirziburgensi episcopo de aliqua parte parrochię sui episcopatus. Unde etiam prędictus episcopus nobis suas literas misit, ut suo consensu privilegio nostrę apostolicę auctoritatis episcopatus noviter factus fundaretur. Pro qua ratione Heinricus secundus, gloriosissimus rex, nuncios suos ad nos direxit, qui nobis hęc omnia dicerent et nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cuius sanctissimam intimationem paterna et pręcordiali dilectione intuentes omnes res, quas beato Petro apostolorum principi in loco pręno-

minato legitima ratione collectas contulit, nostrę auctoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut episcopus eius loci et qui in perpetuum sui fuerint successores eas secura tranquillitate possideant et liberam habeant potestatem res et proprietates eiusdem ęcclesię ordinare atque componere vel etiam augmentare; dissipare vero atque confundere nullam habeant potestatem. Nostra quoque auctoritate sanccimus, uti in terminis et in rebus eiusdem ęcclesię nulla sit infestatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet pravorum hominum, sive sint in civitate ipsa Babenberc sive in castellis et villis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, piscariis, molendinis, campis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis; et quicquid modo illuc pertinet vel in futurum acquiri possit, per nostrę auctoritatis privilegium corroboratum in secura quiete permaneat. Nullus ibi comes aut iudex legem facere pręsumat, nisi quam per concessionem gloriosissimi regis Heinrici vel successorum eius episcopus loci eiusdem deliberet. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber et ab omni extranea potestate securus, Romano tantummodo mundiburdio subditus, quatenus episcopus eo melius cum canonicis suis servitio dei possit insistere et primi constructoris eiusdem loci et recuperatoris iugiter memoriam habere. Sit tamen idem episcopus suo metropolitano Moguntiensi subiectus atque obediens. Quicumque hęc pręcepta servaverit, divinam remunerationem et apostolicam benedictionem accipiat. Qui autem contemptor et

violator extiterit, perpetui anathematis dampnationi subiaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctę Romanę ęcclesię in mense Iunio, Indict. V^{a}.

10

Habito igitur rursum generali concilio in Francenvurt, cui pręsedit venerabilis archiepiscopus Willigisus Mogontinus, universi archiepiscopi et episcopi, qui interfuerunt, numero XXX. VII, debita cum veneratione privilegium hoc sedis apostolicę suscipientes unanimiter devotis memibus laudaverunt et subscribendo roboraverunt.

De supradictis vero parrochię terminis ab ęcclesia Wirziburgensi commutatis, ne qua fieret in posterum querela vel dubitatio, subiectam conscribi paginam fecerunt; cui subscripsit primo quidem ipse Heinricus Wirziburgensis episcopus, deinde eiusdem ęcclesię prępositi sive presbyteri, numero VIIII.

Omnium sanctę dei ęcclesię fidelium tam presentium quam futurorum noticiam non latere desideramus, qualiter gloriosissimus rex Heinricus divinę, ut credimus, admonitionis stimulo compunctus de prędiis, quę dei gratia hereditarioque iure parentum in suę possessionis dominium provenerant, dei servitium augere episcopatum construendo desiderans, quo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, Heinricum venerabilem Wirziburgensis ęcclesię provisorem, quatenus quendam locum Babenberch nuncupa-

tum cum pago, qui Ratenzgowe dicitur, qui ad suę dioceseos statum pertinere videbatur, de suo iure in suum ius ad id perficiendum transfunderet, studiose cępit flagitare. Qui, quoniam iustę atque rationabiles causę videbantur, eiusdem augustissimi atque invictissimi regis peticionibus acquiescens cum communi cleri sui atque militum necnon totius populi consilio et consensu prefatum locum cum prędicto pago tribus parrochianis ęcclesiis exceptis cum suis adiacentiis, quarum hqc nomina sunt: Wachenrode, Lonerstat, Mulihusen, omni postmodum remota contradictione, suę potestati tradidit; alterius autem pagi, qui Volcfelt vocatur, in quo prefatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberchad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam flumen, et sic iuxta decursum eiusdem fluminis in Moin et inde ad rivulum Wichebach, deinde ad caput eiusdem rivuli sicque qua citissime ac proxime perveniri potest ad Uraha. Actum in civitate Wirziburgensi, pręsente serenissimo imperatore Heinrico, ea conditione, ut decimam in novalibus iam incisis et ad mansum mensuratis cum veteri decima non commutuata Wirziburgensis ęcclesia retineat, in novalibus vero posthinc excolendis decimam Babenbergensis ecclesia possideat cum termino commutuato.

11

Sed et Iohannes Aquilegiensis patriarcha opus tam laudabile regis excellentissimi et piam erga Christum devotionem toto affectu amplectens

Heinrico episcopo Wirziburgensi gratulationis plenam scripsit epistolam:

Beatissimo domino et sincera caritate diligendo Heinrico sanctę Wirziburgensis ęcclesię episcopo venerabili Iohannes sanctę Aquilegiensis ęcclesię patriarcha cum omnibus suę dioceseos episcopis fraternam dilectionem in eo, qui prior dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, Iesu Christo domino nostro. Licet, reverende frater, fraternę dilectionis cura nos ammoneat, ut in omnibus operibus bonis, quę conditor humani generis misericorditer ad salutem cottidie disponit, immensas gratiarum actiones ipsi agere debeamus, quandocumque tamen vel ubicumque ex provectu sanctę ęcclesię vel eius exaltatione locatione aliquid nos magnifici operis audire contigerit, immensę devotionis affectu et spiritualis exultationis effectu illum laudare et benedicere et predicare debemus, cuius hęc dona sunt et a quo bona cuncta ineffabiliter procedunt. Qui inter innumerabilia sempiternę dignationis sacramenta ea etiam in suorum cordibus principum dictat, quę ad multorum exemplum et salutem profutura procurat. In quibus unum est, quod nuper divinitus factum maximam mentibus nostris leticiam generavit.

Audivimus namque, quod dominus noster Heinricus, gloriosissimus et invictissimus rex, divina sibi inspirante gratia ex suis prędiis et paterna hereditate in loco, qui dicitur Babenberc, episcopatum in honore beatissimi Petri apostolorum principis construxit et commutatione facta digne et legaliter cum vestra ęcclesia partem

quandam ex eius diocesi acquisivit atque hoc concambium apostolice sedis privilegio corroboravit. Quod quidem eximium et laudabile opus et eius dignissimam liberalitatem et vestram caritatem satis egregie predicabilem commendat, cum et suum est per Operationen et vestrum fit per dilectionem. In quo omnipotenti deo immensas gratias referimus, ad cuius inestimabilem gloriam spectat, quod per regem nostrum Heinricum, bonum et fidelem ministrum suum, fundatissimam pacem omnibus ęcclesiis prestat et insuper novam ęcclesiam format, per quam et de inimico humani generis in vicinas Sclavorum gentes deo opitulante triumphabit et innumerabilem familiam per lavacrum regenerationis sibi multiplicabit. Nos autem cum omnibus nostrę dioceseos episcopis hoc divinum opus in commune laudamus atque in eo iuste consentientes et subter conscribentes in perpetuum valere confirmamus.

12

Heinricus, divina pręordinante clementia rex, omnibus ęcclesię filiis tam futuris quam pręsentibus. Saluberrimis sacri eloquii institutionibus erudimur et pręmonemur, ut temporalia relinquentes bona et terrena postponentes commoda ęterna et sine fine mansura in cęlis studeamus adipisci consistoria. Gloria enim pręsens fugitiva est et vana, dum possidetur, nisi in ea aliquid de cęlesti eternitate cogitetur. Sed dei miseratio humano generi utile providit remedium, quanto

partem cęlestis patrię terrenę substantię fecit esse precium.

Huius ergo nos clementię non immemores nec ignorantes nos gratuito divinę miserationis respectu regali dignitate sublimatos, congruum esse ducimus non solum ęcclesias ab antecessoribus nostris constructas ampliare, sed ad maiorem dei gloriam novas edificare easque devotionis nostrę donis gratissimis exaltare. Quapropter dominicis non surdum auditum prębentes pręceptis et deificis obtemperando intendentes suasionibus, thesauros divinę largitatis munificentia nobis collatos in cęlo desideramus reponere, ubi neque fures effodiant nec furentur neque erugo vel tinea demoliatur, ubi et, dum omnia nunc congesta recolimus, cor nostrum desiderio et amore sepius versetur.

Proinde patere volumus omnium fidelium universitati, quod quendam paternę hereditatis nostrę locum Babenberc dictum in sedem et culmen episcopatus proveximus et Romans sedis auctoritate firmatum atque venerabilis Heinrici Wirziburgensis episcopi consensu et dilectę coniugis nostrę Chunigundę voluntate pari etiam communique omnium nostri fidelium tam archiepiscoporum quam episcoporum abbatumque necnon ducum et comitum consulto decretoque ac tocius regni nostri principum concordi devotione laudatum ad honorem omnipotentis dei et beatę Marię semper virginis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli necnon sanctorum Kyliani et Georgii fundavimus, stabilivimus et corroboravimus, ut inibi nostrum parentumque

nostrorum et Ottonis tercii imperatoris, videlicet antecessoris nostri, celebre habeatur memoriale et iugis pro omnibus orthodoxis mactetur hostia salutaris.

Oblatis igitur deo in eadem dilecta nobis ecclesia ad honorem et decorem domus dei ex metallis lapidibusque preciosis in varios usus sanctuarii vasis seu vestibus aliisque ornamentis ęcclesiasticis contulimus pręterea ad supra dictam sedem episcopalem prędia, ęcclesias, vicos, villas cum omnibus suis pertinentiis sive adherentiis, videlicet utriusque sexus mancipiis, areis, ędificiis, terris cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, silvis, sagenis, venationibus, pratis, pascuis, campis, forestis, forestariis, ceilariis, censibus, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus et immobilibus et cęteris omnibus, quę rite scribi aut appellari possunt quoquolibet modo, utilitatibus; pręsenti nostrę auctoritatis edicto statuentes, ut nobis in deo dilectus sepedictę sedis episcopus Eberhardus suique successores liberam dehinc habeant potestatem eadem pręscripta bona cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi seu in quoslibet usus episcopatus convertendi. Fratribus autem canonicis deo ibidem famulantibus ad cottidiana temporalis vitę subsidia possessiones, quas tradidimus, nostra imperiali auctoritate proprietative possidenda confirmamus, ea videlicet ratione, ut prędicti canonici et eorum per successionem prępositi liberam dehinc cum ipsorum canonicorum consensu et consilio potestatem habeant in meliores

usus commutandi, augmentandi et ad utilitatem suam quoquomodo redigendi, quatenus et ipsi, nostri benigne apud deum memores ac dilectissimę coniugis nostrę atque consortis regni Chunigundę parentumque nostrorum, versa vice beneficiis nostris pia atque assidua intercessione respondeant.

Si quis autem, quod absit, huius nostrę donationis munificentiam atque institutum apostolicę sedis et tot venerabilium patrum auctoritate firmatum destruere seu violare temptaverit, in die iudicii coram oculis dei tormento inextinguibili eternaliter luat. Quod ne eveniat, sed hęc traditio nostra atque decretum ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

13

Nec vero solummodo in vita adhuc superstite rege gloriosissimo, sed magis etiam post transitum eius de morte ad vitam felix ipsius plantatio, Babenbergensis videlicet ecclesia, divinę gratię ymbribus irrigata, de die in diem semper accipit incrementum, sepenumero a sancta specialique matre sua Romana ęcclesia uberibus pię consolationis potata ac saciata, regum quoque succedentium auctoritate vel privilegiis nobiliter ac firmiter in perpetuum sublimata.

Denique Swidegerus secundus Babenbergensis episcopus – quem Heinricus rex tercius tribus invasoribus apostolice sedis digne et iuste explosis centesimum et quinquagesimum papam con-

stituens Clementem secundum appellavit, ipseque et coniux eius Agnes in die sancto dominici natalis imperialem benedictionem ab illo accepit – quanto amore primę kathedrę suę locum dilexerit, missis eidem a sede apostolica huiuscemodi privilegiis satis ostendit:

Clemens episcopus, servus servorum dei, sacratissime nostrę Babenbergensi ęcclesię in filiis et filiabus eius, clero videlicet ac populo, perpetuam in domino salutem. Dispensatio seculorum venit de principe cęlorum, qui, antequam secula efficerentur, pręcivit, qualiter disponerentur. Inde fit, ut non possit non impleri, quod ab ęterno illius oculo potuit pręvideri. Tanti numinis nutus te, suam karissimam filiam Babenberc, nobis in sponsam legitimam desponsavit, et arte regere, quantum in nobis fuit, sua propitiatione donavit. Certe nulli marito circa uxorem fides purior et amor ardentior quam circa te nobis, nec umquam vel in mentem venit te destituere et alii adherere. Sed nescio quo divinitus consilio actum est, ut matri tuę omnium que ęcclesiarum consociarer et aliquid non tamen omnino a te seperarer.

Ecce enim, cum illud caput mundi, illa Romana sedes heretico morbo laboraret, et karissimi filii nostri domni Heinrici imperatoris augusti pręsentia ad hoc invigilaret, ad hoc instaret, ut huiusmodi egritudinem propulsaret, explosis tribus illis, quibus idem nomen papatus rapina dederat, inter tot agmina sanctorum, qui aderant, patrum dignatio cęlestis gratię nostram indignissimam mediocritatem cunctis nisibus refragantem voluit eligi et altissimi apostolorum

principis vice fungi. Avulsum me tunc a tuo gratissimo latere, sponsa dulcissima, quis dolor apprehenderit, quis meror confecerit, quo nescio pacto liceat exprimi, cum nobis omnem modum videretur transgredi. Plus honoris est, plus decoris plusque virium matri quam filie, utpote cui omne genu terrestrium flectitur; pro cuius arbitrio ianua cęli aperitur et clauditur; adversus quam nec portę pręvalent inferorum. Non tamen tantę dominationis cupido ostio nostrę mentis irrepsit cordisque cervicem libenter inflexit. Satis nobis erat, tecum activam bene, contemplativam quoquomodo ducebamus vitam, pręsertim cum perfectus amor nec speciem alterius umquam nec intueretur opulentiam. Testem invocamus aciem divinam non commentari nos apologiam. Illa enim secreta cordis rimatur, cui (nulla) nox obtenebratur. Pro teste quoque utimur ipsa conscientia, ubi tua est sollicitudo continua. Interiorem pupillam nec tanta terrarum spaciositas nec tot retunaunt opposita, qum amicam meam, sororem meam, sponsam meam, columbam meam diligentiori cura circumspiciam et undique munitam faciam.

Concessum est nobis divinitus non ex nostris meritis, ut iam diximus, ius illud apostolicum, quo et cęlis imperatur et terris. Unde dignum duximus et accommodum decrevimus, ut de profectu nostro tu quoque proficias, et inde tibi amplius consulatur, unde ipsa potestas nobis ampliatur.

Piissimę recordationis domnus Heinricus imperator augustus te fundavit, te erexit, te etiam

in altum culmen evexit. Quo supplice inexpugnabili muro et propugnaculis apostolici muniminis adversus omnes impias manus pręvalentes bene circumvallata es per prędecessores nostros, Iohannem scilicet XIIII papam et Benedictum. Quod et idem nos facere cupientes, ut triplici tuitione circumcincta per virtutem sanctę trinitatis nichil umquam paveas lesionis, nichil umquam ab aliquo molestationis, secura semper et quieta manens, in filiis et filiabus tuis semper deo devote serviens, devote obediens: statuimus per hoc nostri magisterii privilegium, ut de bonis illis omnibus, quę tibi, sponsa karissima, virgo castissima, ęcclesia speciosissima Babenberc, summa liberalitas eiusdem orthodoxi imperatoris de summa devotione procedens pio affectu contulit et nomine tenus illa per concambium convenientissimum et acceptissimum a Wirziburgensi et Eistetensi episcopis canonico et rationabili iudicio permutavit, vel quorumcumque post eum fidelium religiosa pietas obtulit et oblatura est usque in perpetuum, sive sint mobilia sive immobilia, nullus imperator, nullus rex, dux, marchio, comes, vicecomes et pręterea non archiepiscopus, non episcopus, non abbas nec ulla hominum persona audeat, temptet, presumat quicquam vel violentia vel fraude vel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod si quis diabolico instinctu pulsatus crudeli temeritate admittere non perhorruerit et admissum citius emendare neglexerit, huiusmodi hominem, quicumque sit, de communione sacrosancti sanguinis et corporis domini nostri Iesu Christi et a participio totius christianitatis

non solum excludimus, sed etiam propulsamus. Quin etiam apostolici anathematis acutissima lancea eum transverberamus, ut pro malefactis male perditus mortem gemat ęternam, associatus in gehenna inferioris inferni demonum principi, mortis inventori, et etiam Iudę sacrilego et proditori, undique circumcinctus draconibus tartareis in ultionem sevientibus, nec in ultimo tremendi diei iudicio ad vitam resurgat, sed crudelissimum corpus resumens duplici contritione conteratur, infelicissimo et miserrimo vivendi genere mortem querens et non inveniens.

Qui vero pio intuitu proprias manus ab huiusmodi temeritate subtraxerit et, si ita res exegerit, adversum omnes insurgentes et quicquam auferre conantes ea bona defenderit, ad tuum tuorumque opus, sanctissima Babenberc, illa scilicet, ut predictum est, quę tibi collata sunt vel de cęro in ęternum tibi conferenda sunt, talis ab illo benedicatur, qui super cherubin sedet et gloriatur, pro eo quod hoc nostrę apostolicę auctoritatis privilegium studuit observare illesum suoque robore solidatum, quod nimirum consilio et voluntate necnon alacri promptoque animo karissimi filii nostri, iam superius memorati domni Heinrici imperatoris augusti, de nostra apostolica sede tibi transmissum eidem gratulare. Etenim ut te plantavit conditor tuus, ille primus Heinricus cęsar augustus, sic est hic secundus vestigia eius secutus et, ut pari nomine parique dignitate, sic pari devotione te rigavit, tibi incrementum dedit et adhuc, dum usque vixerit, deo miserante et inspirante dabit. In quo te, dulcissima sponsa,

optamus in secula seculorum crescere, pollere, vigere, dicentes bene valete.

14

Post huius pię memorię Clementis felicem excessum, cum Damasus papa, qui et Poppo, Brixiensis prius episcopus, sedisset XXX tantum dies, Leo nonus, qui et Bruno, a supradicto Heinrico tercio imperatore electus et centesimus quinquagesimus secundus papa constitutus in signum benignitatis, quam erga Babenbergensem locum habuit, Hartwico tercio episcopo pallium direxit ab apostolica sede, scribens ei epistolam in hec verba:

Leo episcopus, servus servorum dei, Hartwico Babenbergensis ęcclesię venerabili episcopo perpetuam in domino Iesu Christo salutem. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt et, ut ne qua ex eis aut errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore quantaque debemus pervigiles esse diligentia nos, qui pastores animarum dicimur? Attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentię reatus nos excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cęteros iudicamur.

Ad missarum itaque sollempnia celebranda fraternitati tuę pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis numquam ante concessum modo tibi primo concedimus rogatu dilectissimi

filii nostri imperatoris Heinrici et pro veneratione antecessoris tui, pię memorię domni papę Clementis, et pro memoria Heinrici imperatoris primi, prefatę ęcclesię constructoris benignissimi. Quo tibi ter in anno uti permittimus salva auctoritate domnę Moguntię ęcclesię, scilicet in die sanctę resurrectionis et in nataliciis apostolorum Petri et Pauli et in sollempnitate sancti Dyonisii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur domni papę Clementis supra memorati; hancque diem sanctam apostolica auctoritate statuimus celebrem esse per totum episcopatum. Cuius quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa si qua tortitudo illis iniecta est dirigatur, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa considerando semper proficiant, ut tuum post deum videatur esse, quod bene vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quę temporaliter blandiuntur, extollant neque adversa deiciant, sed quicquid illud fuerit, virtute patientię devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniat. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibeto. Oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra iusticiam accipias, nullum querentem iusta despicias. Custodia in te ęquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud te extra viam suadeat rationis audire nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare, quatenus deo mi-

serante talis possis existere, qualem sacra lectio pręcipit dicens: Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter uti poteris, si magistram caritatem habueris. Quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit.

Ecce, fratrum karissime, inter multa alia ista sacerdotii, ista sunt pallii. Quę si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta trinitas fraternitatem vestram gratia suę protectionis circumdet atque ita in itineris sui via nos dirigat, ut post huius vitę amaritudinem ad ęternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Data III. N(onis) Ian(uarii). Anno domni Leonis papę noni IIII, Indict. VI[a].

15

Idem quoque pręsul apostolicus invitante Heinrico imperatore Teutonicas partes adiens Ratisponam venit sanctumque Wolfgangum, eiusdem urbis episcopum, de tumulo levavit. Inde Babenberc cum ipso imperatore transiens privilegia eiusdem loci a cancellario suo Friderico, qui sibi postea successit, perspici et coram imperatore populoque pronuntiari mandavit suaque auctoritate illa confirmavit. Cuius nimirum confirmationis descriptio in hunc modum se habet:

Leo episcopus, servus servorum dei, Hartwico Babenbergensi episcopo sibique canonice in sede episcopatus successuris in perpetuum eternam in domino salutem. Cum exigente cura pastorali totius sanctę dei ęcclesię nobis dei providentia commissę in partes Germanię venissemus, quę orientali Francię adiacent, prece dilectissimi filii

nostri Heinrici, secundi imperatoris et tercii regis, ac supra fati dilectissimi confratris nostri episcopi Hartwici Babenberc venimus et in die natalis beati Lucę evangelistę inter missarum sollempnia, cum verbum dei haberemus ad populum, pręsente nominato karissimo filio nostro Heinrico et episcopis quam plurimis asstantibus etiam laici et diversis potestatibus seculi relecta sunt prędecessorum nostrorum privilegia, quibus idem locus fundatus et corroboratus est auctoritate Romana sanctę sedis apostolicę. Relecta est ibi et conscriptio et confirmatio Heinrici Wirziburgensis episcopi, qua prędictam Babenbergensem ęcclesiam banno episcopali et episcopii termino accepta placita commutatione firmavit; quę sic acta est:

Dum Heinricus, in imperio primus, in regno secundus, divini ignis amore succensus de prędiis, quę dei gratia hereditario iure in suę possessionis dominium provenerant, dei servitium augere construendo episcopatum atque ordinando desideraret, quo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, Heinricum venerabilem Wirziburgensis ęcclesię provisorem, quatenus prędictum locum Babenberc nuncupatum cum pago, qui Ratenzgowe dicitur, qui ad suę dioceseos statum pertinere videbatur, de sui iure in eius im ad id perficiendum transfunderet, studiose cepit flagitare. Qui, quoniam iustę et rationabiles causę videbantur, eiusdem invictissimi regis petitionibus acquiescens cum communi cleri sui atque militum necnon totius populi consilio et consensu prefatum locum cum prędicto pago tribus

parrochianis ęcclesiis cum suis adiacentiis exceptis, quarum nomina sunt kęc: Wachenrode, Lon‹e›rstat, Mulihusen, omni postmodum remota contradictione suę potestati tradidit; alterius autem pagi, qui Volcfelt nominatur, in quo prefatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberc usque ad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam flumen, et sic iuxta decursum eiusdem fluminis in Moin et inde ad rivulum Wihirtbach, deinde ad caput eiusdem rivuli sicque qua citissime ac proxime perveniri potest ad Uraha. Et ut hęc traditio firma et inconvulsa permaneret, ipse prędictus pręsul Heinricus cum canonicis suis corroboravit et subscripsit.

Qua conscriptione relecta, cum iuxta votum omnium, ut semper iustis operibus favorem debemus, et nos prędictum venerabilem locum apostolica auctoritate vellemus corroborare, ipse prənominatus eiusdem loci episcopus Hartwicus proclamationem suam fecit, quia locus suus a clericis Adelberonis Wirziburgensis episcopi temeraria pręsumptione invasus esset. Quod nos, quia utrique episcopi pręsentes aderant, inter quos causa stabat, ibidem volentes discutere, Adelberoni episcopo, a quo iniuria illata erat, deliberationem fecimus, ut obiectionem hanc, si posset, refelleret, si non, iustitię satisfaceret. Tunc ille inito cum suis omnibus qui aderant clericis et laicis consilio regrediens ad ambonem de illata iniuria se cum satisfactione excusavit et de omnibus, quę ad bannum et episcopalem iusticiam et potestatem Babenbergensis episcopi pertinerent, extunc et deinceps renuntiavit exceptis

his causis, quas de bonis utriusque episcopii ipsi inter se episcopi possent legaliter definire.

Verum nos, sicut semper de provectu gaudemus fidelium et iustis operibus debemus augmentum, eundem locum Babenbergensem ab antecessoribus nostris corroboratum apostolica auctoritate ibidem viva voce corroboravimus et eandem corroborationem nunc etiam literis signamus, ut eundem locum et omnia, quę ibidem deo sanctoque Petro a felicis memorię Heinrici, secundo rege et primo imperatore, tradita sunt et quę in posterum iure acquiri possunt vel iuste acquisita sunt, prędia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vasa, ornamenta vel alia utensilia, nemo audeat in perpetuum surripere, auferre aut commutare, nisi ad utilitatem eiusdem ęcclesię; sed episcopus eiusdem loci vel qui imperpetuum eiusdem fuerint successores secura eas tranquillitate possideant ac liberam habeant potestatem omnes res et proprietates eiusdem loci ordinare atque componere vel etiam augmentare; dissipare vero atque confundere nullam habeant inde potestatem aut dominationem. Insuper pro nostra auctoritate sanccimus, ut in terminis ac rebus eiusdem ęcclesię nulla sit infestatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet hominum pravorum, sive sint in civitate ipsa Babenberc, sive in castellis, villis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestis, silvis, venationibus, piscationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, agris cultis vel incultis; aut quicquid modo illuc pertinet aut in futurum iuste acquiri poterit, per nostrę apostolicę auctoritatis privilegium corroboratum in

secura permaneat quiete. Nullus ibi comes aut iudex placitum seu districtionem aliquam facere vel tenere audeat, nisi quam per concessionem gloriosissimi imperatoris secundi Heinrici vel successorum eius episcopus eiusdem loci deliberaverit. Nulla in aliqua dignitate posita magna parvaque persona per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber, Romano tantum mundiburdio subditus, quatenus episcopus liberius et delectabilius cum clericis suis servitio dei possit insistere et Heinrici primi imperatoris, eiusdem loci venerabilis fundatoris, nostrique, scilicet Leonis noni papę, ac nostrorum successorum, Heinrici quoque, karissimi filii nostri secundi imperatoris, atque omnium, quibus debitores sunt, memoriam iugiter habere. Sit tamen idem episcopus suo metropolitano episcopo Moguntino in canonicis causis tantummodo subiectus et obędiens.

Deliberatis igitur, sanccitis ac corroboratis omnibus supra dictis rebus, eidem sancto loco placuit addendum insigne honoris ecclesiastici a nostra apostolica auctoritate ducti amore et reverentia Clementis, pię memorię prędecessoris nostri – quem deus miro dispositionis ordine a prędatione huius loci ad sanctę Romanę catholicę et apostolicę ęcclesię apicem dignatus est accersire et mirabilius e Romanis finitimis defunctum corpus eius reducere, volens hanc ęcclesiam, ut ęstimamus, quasi novam tanto decoratam esse patrono Romanamque contentam et sufficientem pręteritis et futuris patribus manere ornatam –, quin etiam amore et desiderio fratrum, qui in suis recepere ęcclesiasticis stipendiis et cotti-

dianis unum nostra vicissitudine regere fratrem, mitras gestandi concedimus licentiam, ea scilicet ratione, ut ab episcopo prędvideantur digniores et honestiores presbyteri et diaconi, qui bonis moribus vel maturis ętatibus vel etiam prędlationibus ipsius loci emineant his videlicet diebus: in nativitate domini et salvatoris nostri Iesu Christi et in cęna domini et in sabbato sancto et in die gloriosę resurrectionis eiusdem et sancto pentecosten et in die sancti Georgii et in die sanctorum Petri et Pauli et assumptionis beatissimę Marię et sancti Dionisii pro reverentia nostri prędlibati prędecessoris domni Clementis papę, cuius anniversarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur, et in anniversario die domni Heinrici imperatoris, eiusdem loci venerabilis constructoris. His vero concedimus hanc dignitatem, qui tantum specialiter excubant vel deserviunt apud prędicti prędecessoris nostri sepulchrum. Contentos tamen his sanccimus diebus fore nec ultra a quoquam temere usurpari, ne honor proprius apostolicę sedis vilescat.

Hęc vero omnia supra dicta observari et custodiri in perpetuum nostra apostolica auctoritate decernimus, confirmamus et corroboramus. Qui vero, quod absit, huius nostri privilegii temerarius transgressor extiterit, dei et beatissimę Marię et beatorum Petri et Pauli omniumque sanctorum et nostra ęterna maledictione maledicatur et perpetui anathematis vinculis innodetur, nisi digna satisfactione resipuerit et canonice satisfecerit. Qui autem pio corde huius observator privilegii extiterit, dei omnipotentis et almę

Maris et beatorum apostolorum Petri et Pauli benedictione ditatus ęterni regni particeps fieri mereatur.

Data per manus Friderici diaconi bibliothecarii et cancellarii sanctę Romanę catholicę et apostolicę ęcclesię, anno dominicę incarnationis Mº Lº IIº, anno pontificatus domni Leonis VIIII. papę IIII.

16

Nec minus ipse rex pręfatus Heinricus tercius, Cůnradi imperatoris filius, dudum patre vivente rex constitutus ordinationis suę anno XIIº, regni autem primo, ad confirmandum Babenbergense episcopium privilegium, quod subiunctum est, scribi iussit superstite adhuc Eberharde, primo eiusdem sedis episcopo:

Heinricus, dei favente dementia rex. In examine dei cuncta conspicientis ęquale meritum credimus fore dantis et corroborantis. Credimus etiam, ad regalem nostram maiestatem pertinere totius regni curas pręcipueque omnium sanctarum dei ęcclesiarum commoda considerare et omnia eis adversantia sub omni festinatione abolere, ne vel gravi incommoditate vilescant vel qualibet pro nostra culpa orta occasione a pristino cultu et religione recedant, quatenus, dum hęc pro amore pariterque timore dei fideliter peragimus, illorum, qui hęc pio affectu deo contulerunt, meritis et gloria communicemus.

Proinde omnibus in Christo fidelibus, scilicet tam futuris quam pręsentibus, notum esse volumus, qualiter ob hanc spem per interventum

dilectissimę matris nostrę Gisilę, imperatricis augustę, pro amore etiam dilecti fidelisque nostri Eberhardi, primi sanctę Babenbergensis ęcclesię episcopi, eundem locum, a divo imperatore Heinrico secundo pro sua suorumque anima in episcopatum divina inspirante dementia perfectę fidei spei caritatisque devotione in honore principis apostolorum Petri et sancti Georgii martyris sublimatum, consensu fidelium nostrorum sanccimus et omnium contradictione remota regalis nostrę maiestatis auctoritate corroboramus. Omnes etiam res mobiles et immobiles eiusdem sanctę dei ęcclesię, quas ipse divus imperator pro ardore cęlestis patrię ibidem larga manu contulit, ea ratione confirmamus, ut fidelis noster Eberhardus, eiusdem loci primus episcopus, eiusque in perpetuum successores secura eas tranquillitate possideant et liberam potestatem habeant res et proprietates eiusdem ęcclesię cum consensu cleri et populi ordinare, componere, commutare et augmentare. Nostra quoque auctoritate sanccimus, ut in abbatiis, monasteriis, comitatibus, foris, mercatibus, monetis, naulis, theloneis, castellis, villis, vicis, areis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, piscationibus, molendinis, aquis aquarumve decursibus, campis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, libris, argento et auro, gemmis, vasis, ornamentis vel aliquibus utensilibus in cultum et religionem dei ibidem collatis et in omnibus terminis rebusque eiusdem ęcclesię, aut quicquid ad pręsens illuc pertinet vel ex his amplificari potest, nulla sit infestatio tyrannorum, nulla potestas ibi

per violentiam irruat, nullus ibi comes aut iudex legem facere pręsumat preter episcopum eiusdem loci, omnisque possessio deo famulantium ibi pro emunitate habeatur. Sit ille episcopatus liber et ab omni extranea et iniqua securus potestate, quatenus ibidem deo famulantes et primi constructoris memoriam digne celebrare nosque fautores et corroboratores possint et velint deo precibus suis commendare. Et ut hęc nostre auctoritatis traditio firma et inconvulsa permaneat, hoc privilegium inde conscriptum manu propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Hęc nos de fundatione vel confirmatione sanctę Babenbergensis ęcclesię accepta occasione dixisse sufficiat, nunc ad ceptam narrationem de gestis beati viri animum stilumque vertamus.

17

Regisautem frater erat Brun, Augustensis sedis episcopus, qui felicibus fratris actibus invidens multas ei adversitatum iniurias, in quantum potuit, inferebat et, ubi per se non poterat, inferentibus se adiungebat vel alios ad inferendas exhortando stimulos eis [pravę] incitationis subigebat. Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam fraterna instructus dilectione omnia dissimulando et patienter sustinendo illum bono vincere satagebat.

18

Quanta eius munificentia, quanta erga deum liberalitas extiterit, tam in illa Babenbergensi ęcclesia quam in aliis compluribus locis, manifestis operum declaratur indiciis. Solum quippe deum sibi elegit heredem, quatenus et ipse in consortium ęternę hereditatis eum assumere dignaretur. Liberos etenim secundum carnem nec habebat nec expectabat, quoniam quidem eam, quam pro coniuge habere videbatur, Chunigundam, numquam cognovisse, sed quasi sororem dilexisse certissime comprobatum est. Qualiter autem innotuerit, ad communem ędificationem prętereundum non est, ut et castimonię erudiamur exemplis et divinorum secretorum admiratione moveamur intelligentes, quemadmodum diligentibus deum omnia cooperentur in bonum.

Tantis namque ac talibus bonis temptatio deesse non potuit. Invidus enim omnium bonorum diabolus, ubi thorum immaculatum sauciare non valuit, zelotipię livore fędare cogitavit et eius saltem famam ledere, cui vulnus corruptionis infligere non potuit. Facta est igitur auctore diabolo suspecta criminis, quę non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis est, qui famam negligit, expurgationis gratia ad vomeres candentes illud sibi iudicium elegit, quod propter duriciam hominum institutum esse cognoscitur. Cumque dilecta deo ad illud iudicium velut ovis ad occisionem duceretur, ingemuit et ait: „Domine deus, creator cęli et terrę, qui probas renes et corda, iudica iudicium meum et eripe me; te enim testem et iudicem hodie invoco, quia nec hunc pręsentem Heinricum nec alterum quemquam

virum carnali commercio umquam cognovi." Hoc dicto stupentibus ac flentibus universis, qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit et sine adustionis molestia secura pertransiit. Ita deus omnipotens vinculum castę dilectionis servavit, innocentiam comprobavit, integritati custodiam humilitatis adhibuit.

19

Inter hęc beatissimi principis gloria magis ac magis proficiebat, et gratia dei erat cum ipso. Non declinavit clypeus eius a bello, et hasta eius non est aversa. Apuliam a Gręcis diu possessam Romano imperio recuperavit et eidem provincię Ismahelem ducem prępfecit. Qui postea in Babenbergensi loco mortuus et in capitolio maioris monasterii sepultus requiescit in domino. Beneventanum monasterium condidit et omni ornatus decore locupletavit.

20

Cumque civitates Apulię pertransisset et, quę ad utilitatem et honorem regni pertinebant, in eis prudentissime disposuisset, cępit infirmitate calculi laborare. Cuius morbi molestiam vir sanctus tanta patientia sustinuit, ut passiones carnis ad custodiam humilitatis a deo sibi collatas esse assereret et flagellum correptionis cenissimum signum paternę dilectionis esse affirmaret. Fomenta tamen curationum fecit sibi adhiberi, sed nulla medicorum subtilitate ad integrum potuit liberari. Ingravescente autem dolore ascendit

montem Cassinum petiturus, ut per intercessionem beati Benedicti et sanctę Scolasticę sanitatis ei a deo prestaretur remedium. Veniens autem ad locum, ubi sanctorum reliquie fuerant reconditę, effudit animam suam in conspectu altissimi et per sanctorum suffragia, Benedicti videlicet et Scolasticę, precibus et lacrimis postulavit a deo salutem corporis et animę sibi prestari. Impletumque est, quod per prophetam dicitur: Exquisivi dominum et exaudivit me et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Nam petiit et exauditus est; pulsavit perseveranter ad ostium miseratricis potentię et intromissus est. Interea rex cępit cogitare, quę de translatione sancti Benedicti audierat et quia reliquię eius dicebantur furtim sublatę et in alium locum translatę; ideo vir sanctus de corporali eius pręsentia dubitabat.

21

Completa itaque oratione homo dei ad hospicium se contulit et lassatus ac debilitatus in lectulo se collocavit. In quo obdormiens vidit sanctum Benedictum sibi assistere et ferrum sectorium ad medicinales sectiones aptatum manu tenere. Qui dixit ei: „Quia sperasti in deo et in sanctis suis, ecce missus sum a deo, ut per meam medicinam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego, cuius ossa furtim sublata esse putabas, pręsentiam meam tibi exhibeo et in argumentum veritatis passiones tuas curabo." Hęc dicens partem illam corporis, ubi calculus herebat, medicinali ferro, quod tenebat, aperuit et evulso molliter calculo hyatum vulneris subita sanatio-

ne redintegravit calculumque, quem tulerat, in manu regis dormientis reposuit. Quo facto christianissimus imperator evigilavit et pertractans secum, quę circa ipsum per confessorem Christi gesta fuerant, videnque calculum, quem manu tenebat, vocavit satellites suos, qui regio more sibi semper assistebant, dixitque ad eos: „Pontifices regnique nostri principes vocate ad me, ut cognoscant et videant mirabilia dei, quę ineffabilis misericordia et inenarrabilis potentia eius fecerunt in me." At illi mandata regis celeri cursu perferentes ad principes perduxerunt eos ad regem.

Quos rex salutans resalutatusque ab eis sic allocutus est: „Fratres et commilitones mei, magnificate dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum, quia ipse est magnus dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis. Ipse percutit et medetur, flagellat peccatores et pęnitentibus miseretur. Hunc humiliat et hunc exaltat; quia calix in manu domini vini meri plenus mixto. En ego, qui heri morti proximus fui, per misericordiam dei hodie vobis appareo sanus et aculeum mortis, quem heri gestavi inclusum corpori meo, hodie oculis vestris visibiliter ostendo." Hęc dicens ostendit calculum, quem manu tenebat, et ostendens cicatricem vulneris omnia, quę per sanctum Benedictum circa ipsum gesta erant, cunctis audientibus ex ordine referebat. At illi videntes et audientes mirabilia dei plus quam credi potest admirati sunt; et benedicentes deo diuque in laudem eius acclamantes de incolomitate regis gavisi sunt. Rursumque rex ad

eos: „Quas", inquit, „gratiarum actiones aut quę munera tantis beneficiis condigna medico nostro Benedicto possumus rependere?" At illi omnes iudicaverunt eum regia munificentia dignum esse. Rex ergo ex consilio principum suorum ingentia munera in prędiis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis ęcclesię sancti Benedicti contulit et valefaciens fratribus, qui eidem ęcclesię pręsidebant, a Cassino monte hylaris et sanus recessit. Ab eo autem tempore et deinceps quadam speciali veneratione et dilectione sancto Benedicto et omnibus monasticęreligionis cultoribus studuit deservire et in amplificandis et protegendis rebus ęcclesiasticis benignus et devotus pater existere.

Hęc in Cassino monte scripta inveniuntur, ut et moderni magnalia dei in memoria habeant et apud posteros per antiquitatem temporis in oblivionem non veniant.

22

Inde iter faciens Romam pervenit, ubi a Benedicto papa benigne et honorifice susceptus, quantas miserationes et beneficia per sanctum Benedictum ei dominus contulerit, indicavit. Benedictus vero papa gratias egit deo pro omnibus beneficiis suis et pro salute regis et totius populi catholici obtulit sacrificium laudis. Eodem tempore, sicut prędictum est, rex sanctus Babenbergensem fundum cum omnibus pertinentiis suis beato Petro contradidit et apostolico presuli extunc et modo defendendum commendavit et in commemorationem huius pactionis singulis annis album ambulatorem cum faleris Romano

pręsuli dari constituit. Hoc quoque humilitate et devotione apud domnum papam obtinuit, ut ad Alamanniam accederet et Babenbergensis fundi novellam plantationem visitaret. Quod et ita factum est.

Nam in proximo Aprili Alamanniam intravit omnibusque civitatibus illius regionis peragratis tempore, quo condixerant, Babenbergensem locum adire disposuit. Venit ergo V. feria maioris ebdomadę, hora sexta, sacris pontificalibus vestimentis indutus, sicut iam ad peragenda mysteria dei ac sollempne illius diei officium processurus erat; et suscipitur gloriosissime ab imperatore atque universis, qui aderant, principibus omnique clero et populo inęstimabili exultationis tripudio. Ut autem in adventu tam insoliti tamque exoptati hospitis deo nostro iocunda decoraque laudatio exhiberetur, prudentissimus regum quatuor in occursum eius choros psallentium decenter ordinavit: primum in ulteriore fluminis ripa, alium in citeriori, tercium ante portam civitatis, quartum in atrio ęcclesię; ubi primus omnium ipse rex data manu papam domum domini introducens divinis hinc inde ymnis canora suavitate resonantibus in episcopali kathedra locavit.

Debitum huius sacratissimę diei officium cum duodenis episcopis cooperatoribus apostolicus pontifex, similiter et aliorum dierum sequentium, summa devotione celebravit. In sancta autem dominica paschę, cum in matutinali officio Aquileiensis patriarcha lectionem primam, archiepiscopus autem Ravennas secundam, ipseque apostolicus recitaret terciam, omni denique

ornatu et elegantia processionis sollempnia agerentur, veluti condecuit apostolicam dignitatem imperialemque magnificentiam in sancta sollempnitate sollempnitatum: quis non iudicet tam religiosam nostrisque in regionibus inusitatam celebritatem merito in noticia omnium Babenbergensis ęcclesię filiorum perpetuo haberi et memoriale eius in sęculum non derelinqui?

23

Sub eisdem diebus basilicam in honore sancti Stephani VIII. Kal. Maii idem venerabilis papa consecrans preciosis muneribus, quę adhuc ibi servantur, adornavit; ubi inter missarum sollempnia adoperatione septuaginta duorum episcoporum et unanimi consensu principum episcopatum ab omni sęculari potestate liberum esse constituit et cuncta, quę pontificali dignitati et utilitati congruebant, presentię suę auctoritate et privilegii sui attestatione bannique firmitate roboravit.

Cuius privilegii confirmatio talis est:

Benedictus episcopus, servus servorum dei, dilectissimo sibi in Christo semper domino et serenissimo regi Heinrico a deo coronato suoque spirituali filio, Eberhardo quoque confratri et coepiscopo suo, sanctę videlicet Babenbergensis ęcclesię venerabili episcopo, ęternam in domino salutem et apostolicam benedictionem. Inter omnia, quę divinę providentię consilio disponuntur, ad laudem respicit creatoris, quod etiam a summis viris deoque devotis intuitu pietatis et spe ęternę retributionis venerabilia

loca eorum sumptibus sublimantur rectissimeque ordinantur, possessionum suarum beneficiis cumulantur et in meliorem statum Christo auxiliante commutantur. Unde, dilectissime fili, in omnibus, quę te ad laudem et gloriam redemptoris nostri devote et misericorditer fecisse manifestum est, nichil perfectius nichilque melius ad promerendum regnum cęlorum agere potuisti, quam quod illum tibi fecisti heredem, a quo ęternam accepturus es hereditatem, quodque sancta Babenbergensi ęcclesia ad episcopalis dignitatis fastigium per te sublimata, illic tibi beatissimam dei genitricem semperque virginem Mariam beatissimosque apostolos Christi Petrum et Paulum una cum sanctis martyribus Kyliano et Georgio elegisti in patrocinium; qui Christo propicio compensata vicissitudine adipiscendi regni cęlestis perpetuum pręstabunt auxilium. Pro tanto igitur deo eiusque sanctis collato servitio in primis ipsi gratias debitasque laudes referimus, qui tibi tam sanctum opus faciendum inspiravit et, ut ad votum tuum perficeres, largiflua pietate adiuvare disposuit. Deinde quoniam sancta Romana ęcclesia, quę bene fundata est supra firmam petram, hoc semper habuit verę caritatis indicium, ut de exteriorum gauderet provectu ęcclesiarum: competit nostro apostolico moderamini, ut nos, qui eidem deo auctore deservimus, sancto studio tuo plenissime congaudeamus sperantes tui operis habere portionem, si, quod tuum est per laborem, nostrum facimus per caritatem.

Quapropter, quoniam petisti a nobis una cum confratre nostro Eberharde, eiusdem sanctę Ba-

benbergensis ęcclesię deo digno episcopo, ut omnia, quę privilegiorum auctoritate sibi sueque ęcclesię a predecessoribus nostris, videlicet domno Iohanne et Sergio, summis pontificibus, collata sunt, nostrę quoque auctoritatis privilegio confirmaremus, considerantes nos quidem vestrę devotionis affectum pięque voluntatis propositum libentissime petitionibus vestris assensum prębere decernimus.

Quocirca statuentes atque promulgantes coram deo et terribili futuro eius examine per huius nostri apostolici privilegii seriem et constitutionem sanccimus et beatę dei genitricis semperque virginis Marię necnon et beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctorumque martyrum Kyliani et Georgii ceterorumque omnium sanctorum auctoritate, in quorum nomine prędictam ęcclesia dedicata est, decernimus atque obtestamur tam apostolicę sedis futuros pontifices quam qui ęcclesiasticas administraverint actiones cunctosque christianitatis titulo insignitos, ut nullus habeat licentiam de his omnibus, quę eidem ęcclesię a prędecessoribus nostris per privilegia concessa sunt vel a nobis data vel danda sunt aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus prędictę ęcclesię tradita sunt vel in antea futuris temporibus contradentur, tam in familiis quam in terris seu in aliquibus possessionibus convellendi, destruendi, molestandi vel alienandi. Si quis vero, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quę hac nostra stabili et inconvulsa firmitate pie et fideliter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire temptaverit et hęc, quę a nobis ad

laudem dei pro stabilitate pręscriptę ęcclesię statuta sunt, refragari aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri principis apostolorum omnium nostraque, cuius immeriti vicem agimus, anathematis vinculis innodatum et cum diabolo eiusque atrocissimis pompis atque cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi ęterni incendii supplicio concremandum, nisi resipuerit et eidem ęcclesię digna emendatione satisfecerit. At vero qui devota intentione observator extiterit huius nostri privilegii ad cultum dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo deo et domino multipliciter consequatur et vitę ęternę particeps effici mereatur. Sancta trinitas caritatem vestram illibatam custodiat. Scriptum per manum Herhardi, scriniarii sanctę Romanę ęcclesię, in mense Iunio, indictione XI. Datum per manum Benedicti, Portuensis episcopi et bibliothecarii sanctę Romanę ęcclesię, anno deo propicio pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis et universalis octavi papę primo.

24

Eberhardo quoque primo Babenbergensis ęcclesię episcopo idem papa Benedictus scripsit epistolam de confirmatione eiusdem episcopii in hunc modum:

Benedictus episcopus, servus seruorum dei, dilectissimo in domino Iesu Christo filio, Eberhardo sanctę Babenbergensis ęcclesię venerabili episcopo, perpetuam salutem. Quandocumque nostrę apostolicę corroborationis pie exposcitur suffragium, celeri affectu est attribuendum. Et si

in his exposcitur, quę durare perpetuo videntur, literis est etiam adnotandum, ne prolixitas temporum posteris hoc reddat dubium vel incertum. Quapropter notum esse volumus cunctis sanctę ęcclesię filiis, tam pręsentibus quam futuris, quid de episcopatu, quem christianissimus Heinricus imperator ad honorem principis apostolorum Petri Babenberc devotissime perfecit, actum in eadem ęcclesia nobis pręsentibus sit. Sepius enim obnixe dictus imperator fervens nimio amore episcopatus, quem tactus divino impulsu perfecerat honorifice, ad confirmandum eum apostolica auctoritate Babenberc adire nos deprecatus est. Cuius deprecationes assiduas et indesinentem instantiam de iusto desiderio procedere cognoscentes iniquum iudicavimus pręsentiam nostram illi denegare et inde humanam calliditatem contra venerabilem locum aliquando occasionem sumere. Venimus igitur Babenberc, ubi ab eodem imperatore suscepti fuimus, prout poterat et noverat melius. Ęcclesiam autem cum omni integritate episcopatus sancte Romane ęcclesię, cui deo auctore pręsidemus, et nobis obtulit; quod videntes equum consideramus seriem huius nostri privilegii et episcopatum confirmare in perpetuum eumque tibi, dilectissime, et tuis successoribus concedere, ea videlicet ratione, hoc ordine, ut nullus umquam viventium, cuiuscumque sit dignitatis vel ordinis, contra hanc nostram confirmationem episcopatus venire audeat vel contra te tuosque successores ob hoc agere, neque liceat ei de omnibus, quę nunc habet vel habiturus est prędibatus episcopatus, vi, frau-

de aut iniqua calliditate aliquid abradere vel te tuosque successores de his omnibus inquietare aliquo modo; ita sane, ut singulis quibusque indictionibus sub nomine pensionis equum unum album nobis nostrisque successoribus persolvat cum sella conveniente Romano pontifici. Si forte, quod non optamus, aliquis superbus et arrogans temerario ausu contra banc nostrę pręceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire aut agere temptaverit, sciat se domini nostri Iesu Christi et apostolorum principis Petri, cui oblatus est a iam dicto christianissimo imperatore episcopatus cum suis pertinentiis et cuius suffragium et iudicium per nos nostrosque successores expectat, anathematis vinculo innodatum et cum diabolo et cum eius atrocissimis pompis atque cum Iuda traditore domini et salvatoris nostri ęterno igni concremandum. Qui vero pio intuitu curator et observator huius nostrę salutifere pręceptionis extiterit, benedictionis gratiam et cęlestis retributionis gaudia a iustissimo iudice domino consequatur.

Scriptum per manus Raphonis notarii regionarii et scriniarii sancte Romane ęcclesię.

25

Ut autem ad superiora redeamus, unde paulisper digressi sumus, postquam vir sanctus Rome positus omnia, quę petebat, a domno papa impetravit, confirmatus apostolica benedictione Alpes Appenninas transcendit et dimisso exercitu in terram suam Cluniacum, eo quod multa de religione et statu loci illius audiret, orationis causa

cum paucis familiaribus suis perrexit. Ubi cum plurima signa religionis et sanctitatis vidisset, sancti spiritus igne succensus coronam auream preciosissimis gemmis adornatam ad missam, quę de cathedra sancti Petri celebrabatur, optulit et fraternitatem monachorum suscipiens cum maxima humilitate et contritione cordis orationibus eorum se commendavit et in supplementum necessariarum rerum in Alsacia optima predia eidem congregationi contradidit.

26

Inde iter faciens per Leodium et Treverim transitum fecit et congregationes inibi deo famulantes plurimis largitionibus et prędiis ditavit. Et mirum, quod homo dei, qui circa ęcclesiasticas utilitates tanto studio et salutem animę suę flagrabat, in nullo provectum regni negligebat, quin immo sine effusione sanguinis, pietate et sapientia terminos regni sui dilatavit et imperialem dignitatem gloria et honore ampliavit et ornavit. Boemiam vicit ac subiugavit, Burgundiam in deditionem recepit, Pannoniam quoque fidei catholicę et Romano imperio adunavit. Victor autem aliarum nationum, apostolus fit Ungariorum.

27

Cum enim omnes adhuc infideles essent, Heinricus imperator ad fidei catholicę confessionem illos adtraxit. Quod ut facilius fieret, sororem suam Giselam Stephano regi matrimonio copulavit secundum apostolum dicentem: Sanc-

tificatur vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem. Stephano itaque rege baptizato universa Pannonia verbum vite suscepit et mira rerum novitate per reges apostolos sanctę catholice ęcclesię incorporata est. O quam preclara tanti apostolatus societas; quam colenda et veneranda utriusque est sanctitas, per quos tot salvati et sanctificati sunt! Prefatus namque rex Ungariorum religiosus deoque devotus postea in executione bonorum operum permansit, quod divina pietas post mortem eius evidentibus indiciis ad sepulturam eius factis signorum miraculis demonstravit.

28

Burgundiorum quoque non humana, sed divina fuit victoria; qui cum armis et omnibus belli copiis essent instructi, viri ad bella doctissimi, armis positis, non hominis metu, sed dei nutu, rogantes ea, quę pacis sunt, dextras dederunt et ad insignia regalia lanceam clavo dominicę passionis insignitam addiderunt. Quemadmodum enim ad declaranda beati Martini confessoris merita dominus pacificum belli dedit exitum, ita et nunc servi sui meritis consimilem virtutem est ostendere dignatus. Similem igitur illum fecit glorię sanctorum; et sicut Moyses precibus magis quam armis triumphavit, ita gloriosissimus princeps per arma iusticię omnia Bella feliciter consummavit ac minime funestam et incruentam victoriam semper habuit.

29

Denique gloriosissime consummatis huius vitę laboribus, postquam bonę opinionis odorem longe lateque redolere fecerat locumque sibi dilectum cum cęteris monasteriis ditando et ornando et excolendo ad perfectum adduxerat ad percipiendam inmarcescibilem coronam ab ergastulo carnis a domino evocatus est. Qui cum cerneret imminere mortis diem, citatis ad se parentibus et cognatis beatissimę imperatricis Chunigundę, nonnullis etiam regni primoribus, manu eam apprehensam commendavit illis huiusmodi verbis memoria dignis: „Hanc ecce", inquit, „michi a vobis, immo per Christum consignatam ipsi Christo domino nostro et vobis resigno virginem vestram".

30

In eius vero transitu terra plorante cęlum exultavit, sicut dominus per suam misericordiam revelare dignatus est. Sub ipsa etenim hora exitus illius cuidam servo dei in solitudine commoranti diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir dei per spirituum discretionem protinus agnovit et ait: „Quo vadis?" Cui ille: „Ad exequias", inquit, „principis pergo". At ille respondit: „Vade, comple negotium tuum, in quantum tibi a domino permittitur; verumtamen consummato officio tuo adiuratus per deum vivum ad me revertere, ut per te rei exitum cognoscam" Post modicum reversus coram servo dei gemebundus astitit et voce querula et ingenti ululatu dixit: „Heu, heu! delusi sumus, in vanum laboravimus, quin etiam ab angelis dei confusi discessimus.

Assistentibus enim hinc et inde nobis et spiritibus angelicis merita animę iustę in statera appensa sunt; et fasciculis peccatorum deprimentibus iam pene pars nostra pręponderaverat. Tunc subito adustus quidam superveniens catino aureo partis dextrę lancem oneravit mirumque in modum parti nostrę adeo pręponderavit, ut et ipsi catino ad terram collapso ruina signum collisionis impresserit. Itaque victores angeli animam nobis ereptam gaudentes in suum consortium abduxerunt."

Hęc vero tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, ut virtute spirituali completa intelligantur. Res etenim spirituales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur aut dicitur, aliud intus geri significatur. Prememoratus et sepe rememorandus dei famulus calicem aureum in honore dei et commemoratione sancti Laurentii martyris ęcclesię Merseburgensi contulerat, cuius speciali patrocinio coram deo adiutus et in ipsa exitus sui hora creditur liberatus. Omni vero veneratione et admiratione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix in certa custodia clausus habebatur, nec minus tamen predictę collisionis materiale signum excepit.

31

De eodem quoque calice quid religiosorum virorum relatione in veritate audierimus, futurorum memoriis intimare opere precium duximus. Cum enim prędictus Christi confessor Heinricus pro disponendis regni negociis Marsipolim

venisset, accidit, ut quadam die ad altare sancti Laurentii missam attentissime audiret; qua completa, sicut semper facere consueverat, ablutionem calicis sumere volebat, sed interveniente magno negocio regni, quod vir sanctus proposuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaque custode ęcclesię rogavit eum, ut calicem cum ablutione in mundo loco reponeret et cum omni diligentia servaret, quoadusque ipse exoccupatus aptum tempus et locum ad sumendam illam inveniret. Excrescentibus autem causis et placitis tota die illa vir beatus non potuit se expedire. Postera vero die post matutinas cum paucis secretariis suis clanculo monasterium introivit et diutius flexis genibus et profusis lacrimis deum exoravit accersitoque custode calicem cum ablutione sibi afferri pręcepit. Cumque allatus et discoopertus fuisset, invenerunt ablutionem illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quod factum mirabile mox universis, qui aderant, innotuit, et nunc et semper in laudem dei et gloriam confessoris sui omnis ecclesia successoribus suis enarrabit.

Discite ergo divites huius seculi facere vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, ipsi vos in ęterna tabernacula recipiant. Huius vero gloriosissimi principis ac beatissimi patris preconia linguam carnis reticere non convenit, in cuius transitu angelis triumphantibus cęlum exultavit.

32

Defuncto itaque beatissimo dei famulo, anno regni sui XX°IIII°., vitę quinquagesimo II°, imperii vero XI°, corpus eius in ęcclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli Babenberc honorifice sepultum est ac postmodum multis miraculorum virtutibus a domino glorificatum est.

33

Anno dominicę incarnationis millesimo XX° V°, ab urbe condita millesimo septingentesimo septuagesimo VI°, Chůnradus, ex regni primoribus unus, sed regno antea per rebellationem adversus, principibus pro eius electione dissidentibus, Aribone autem Maguntino archiepiscopo et Eberhardo Babenbergens pręsule sibi faventibus, LXXXV° loco ab Augusto regnum suscepit et annis XV regnavit. Sublimatus autem in regni sede consilio Brunonis, episcopi Augustensis, fratris Heinrici imperatoris, qui semper, ut supra dictum est, felicibus eius invidebat actibus, Babenbergensemepiscopatum meditabatur destruere; quia idem Brun episcopus promisit reginę Giselę omnia predia hereditario iure ad se pertinentia filio eius Heinrico contradere. Locus igitur et tempus conventui statuitur, ubi hęc res ad certum perducatur. Nocte vero, quę diem pręcesserat, in qua hęc ventilanda erant, Eberhardus episcopus ad tentorium predicti Brunonis clam accessit lectoque eius assidens multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando cum eodem sollicitus egit. Qui ubi iam multa noctis hora transacta recesserat et episcopum pro auditis sollicitatum somnus obpresserat, visus

est ei frater suus, imperator Heinricus, lecto suo astare faciemque suam barba ex una parte depilata turpatam obiectare. Cui super hac re stupido et admiranti ac, quis tam temerarios ausus in eum pręsumeret, interroganti: „Tu", ait, „hęc fecisti, qui me et sanctos dei, quos rebus a deo michi concessis dotavi, despoliare disposuisti. Cave iam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate." Ad hęc ille expergefactus ac de visione non parum perterritus menbrorum quoque horrore ac tremore non leniter est attactus. Mane autem facto, cum diu expectatus ad conventum procerum non veniret, regina pro filio sollicita nunciis missis obnixe rogavit, ut adveniens promissa perficeret. Ille vero affirmabat se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere nec pedem posset quoquam movere. Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum deportari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur, omnino abdicavit seque in deum et in sanctos eius et in fratrem suum peccasse libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illius pravę conspirationis machinamenta repressit idque, quod ab eo bene ceptum est, confirmando semper exinde ad meliora provexit. l

34

Sed iam nunc ad miracula, quę post felicem illius transitum dominus ad declaranda meritorum illius insignia circa gloriosi corporis eius sepulturam operatus est, veniamus pauca ex his ad posterorum noticiam transferentes, quę aut

veraci et indubitata maiorum relatione ad nos delata sunt aut ipsi modernis temporibus gesta probavimus et vidimus:

Mulier quedam contracta in ipsa civitate manebat adeo incurvata, ut ad gradiendum erigi nullatenus posset, sed reptaret potius manibus quam pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti divinitus aspiratum est, ut ad memoriam beatissimi viri accederet atque omnipotentis dei misericordiam obnixius imploraret. Accidit autem, ut dies anniversarius prędfati patris et domini nostri congrua observatione celebrari deberet. Populo ergo more solito ad ęcclesiam confluente et clero vigilias vespertinas celebrante mulier quoque illa incurvata et contracta advenit et plena fide ac devotione usque ad locum sepulchri accessit dicens cum propheta: „Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius." Ibidem ergo pernoctans in oratione universum, quod habebat, id est cor contritum et humiliatum, domino optulit et in fide Christi lacrimis rigavit pedes eius et capillis capitis sui tergebat et unguento ungebat. Et quoniam multum valet deprecatio iusti assidua, cum indefessa usque ad diem talibus sacrificiis insisteret, circa horam diei terciam inter ipsa missarum sollempnia, dum in secunda missa alleluia canitur, laus dei in hominibus ipso operis effectu adimpletur. Subito enim cernentibus cunctis, qui aderant, mulier quasi in extasi facta est, ac deinde sensim nervi, qui diriguerant, dissolvi et universa corporis menbra concrepantia cęperunt extendi; ac sic ordine suo tota incurvati corporis deformitas in suam natu-

ralem pulchritudinem reformata est, ut mulier erecta et usum ambulandi et reliqua menbrorum officia cum omni integritate reciperet. Id autem certissima fide cognitum est referentibus fratribus boni testimonii, qui presentes huic miraculo se interfuisse et vidisse testati sunt.

35

Neque[o] hoc negligendum aut silentio prętereundum videtur, quod antiquitas tradidit et veridica relatione multorum memorię; commendavit. Quidam edituus in ordine laico ad custodiam ęcclesię deputatus furtis cępit assuescere et in ipsa ęcclesia, quęquę poterat, clanculo decrustabat. Sed quemadmodum bonis dei male utendo mali ipsa bona dei, quantum in se est, quodammodo convertunt, immo pervertunt in malum, ita e contrario summus artifex malis malorum uti novit semper in bonum et ipsa mala malorum quandoque etiam in bonum convertit ipsorum. Ut enim ad propositum redeamus, ille prędictus ęcclesiasticę custodię deputatus, cum iam inolita viciorum consuetudine ipsam consuetudinem peccandi iam sibi quasi legem fecisset, misericorditer a domino visitatus atque correptus est iuxta illud: Si iusticias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum. Nocte igitur quadam, dum in ipsa ęcclesia somnum caperet, servus dei aspectu terribili illi apparuit, qui et aspere invectus in eum dixit: „Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. Quare hoc et hoc fecisti? Scito, quia rem iniquam opera-

tus es." Hoc dicto illum de stratu suo protraxit et multis verberibus cesum cruentatum dereliquit. Hęc quidem somnians pertulit, sed expergefactus signa plagarum evidentia demonstravit et verba verberum argumentis comprobavit. Taliter ab immani pręcipicio retractus idem ipse postmodum in suo ministerio usque ad provectiorem etatem in ęcclesia permansit, et in eius correctione multi correcti sunt glorificantes deum, qui per servum suum iam coronatum in cęlis talia adhuc operatur in terris.

36

Quadam vice incerto casu cuidam accidit, ut dissociatis ab invicem naturalibus instrumentis mandibula loco suo dimota et oris impediret officium et naturalem humani decoris compositionem deformaret. Doloris etiam accedebat molestia, quam perpendere in alio commode valebimus, si ad nostri corporis infirmitatem animo recurramns. Talibus circumventus incommodis clamavit ad dominum et divinę pietatis obnixius imploravit auxilium. Ut ergo opera dei manifestarentur in illo, multis assistentibus et videntibus ad tumbam beati viri accessit et capite superimposito tamdiu precibus institit, quoadusque per merita servi dei sanitatem, quam desiderabat, accepit. Quid enim? Necessarium enim est, ut, qui domino universę creaturę obędiunt, illis creatura omnis certis legibus rationis per omnipotentis dei virtutem obędiat.

37

Item alio tempore contigisse in veritate audivimus, ut quidam a paralysi usque adeo vexaretur, ut exinde usum brachii iam perdidisset. Nutu divino admonitus est, ut ad sepulturam sancti corporis accederet et prostratus in oratione dei omnipotentis misericordiam per beatissimi viri ibidem requiescentis merita invocaret. Toto itaque corpore prostratus orationibus incubuit corde magis quam ore decantans cum propheta: „Adhesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum!" Quid ergo? Christus filius dei, qui super terram gradiens manum aridam habentem sanavit, idem nunc sedens ad dexteram patris eodem innovato miraculo per merita dilecti sui supplicem istum liberavit. Sanus equidem ille ab oratione surrexit et deum propiciatorem in commemoratione sancti sui glorificavit. Clamor ad cęlum attollitur, et cum debita gratiarum actione ymnus glorię omnipotenti deo ab universis assistentibus decantatur.

38

Hoc quoque successoribus nostris indicare curavimus, quod in diebus rogationum ad sepulchrum prędicti confessoris contigisse veraciter cognovimus. Quidam enim sacerdos cum populo suę procurationi commisso in diebus rogationum crucem cum ymnis et canticis ad monasterium sancti Petri et sancti Georgii deferebat; cum quo quidam cęcus alterius manu ductus veniebat. Is cum ad sepulchrum confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogavit sanctum Heinricum, ut per eius interventum restitueretur ei lumen ocu-

lorum. Cumque diu precibus et lacrimis pulsaret ad ostium pii confessoris, cunctis videntibus et in laudem dei acclamantibus redditus est ei visus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum, qui ad alterius manum ductus crucem domini secutus fuerat cęcus, modo propriis manibus crucem ferens cum laudibus dei populo domum redeunti ductum prebuit illuminatus.

39

Aliud quoque divinę virtutis miraculum celebri commemoratione et certa fide cognitum est. Erat quidam languidus in ipsa civitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia a lumbis et infra omnino pręmortua fuerunt, adeo ut nec pedibus solo niti valeret, sed instrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inherebat suique corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculum sanctissimi corporis frequentius visitare solebat et per dei misericordiam ad declaranda servi sui merita tantam gratiam consecutus est, ut menbra pręmortua vivificarentur, ac deinde baculis utrique humero subpositis pedibus terram tangeret et erectus incederet.

40

Modernis etiam temporibus contractus quidam, qui adhuc in carne superest, in eodem loco sanatus est et naturalem ambulandi usum recepit.

Preter hęc multa alia sanctitatis argumenta et experimenta frequenter in eodem loco visa sunt: debiles curati, cęci illuminati, dęmones ex obsessis corporibus visibiliter fugati, multi ex diversis infirmitatibus ibidem frequentissime liberati sunt domino testificante, quanta sanctorum gloria in cęlis sit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruscare concedit, ne apud homines loco humili teneantur, qui apud deum meritis excelsi esse comprobantur.

Cum enim miraculorum attestationibus sanctitatem confessoris sui dominus declararet, Babenbergensis ęcclesię prełati crebrescentibus signis cum mandatis et literis [Chůnradi] regis ac principum Romam abierunt et, quam magna mirabilia deus per confessorem suum operaretur, domno papę [Eugenio] et Romane curię nunciaverunt. At illi gaudentes et pro tantę famę dulcedine deum glorificantes de canonizatione sancti regis Heinrici cęperunt sollicite ac diligenter ad invicem conferre, quatenus in decalogo conscriberetur sanctorum, qui virtutibus et signis probaretur assumptus esse in regnum cęlorum. Cui canonizationi quidam cardinalis [Iohannes nomine] cępit vehementer obsistere et proiecto timore dei, in quibuscumque potuit, non verecundatus est prędicto confessori Christi detrahere. Sed divina ultio detrahentem cęlesti verbere repente coercuit et, dum famam beati viri lacerare, potestas dei lumine oculorum eum privavit. At ille adeo percussus et humiliatus cęcitatis

molestia et reatus sui conscientia cępit torqueri et, quoniam hanc plagam in confessorem Christi peccando meruisset, publica voce confiteri. Et mirum in modum, quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modo laudibus et preconiis usque ad sydera extollebat. Conversus itaque ad penitentiam celerem consecutus est indulgentiam et per intercessionem confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cuius ultionem iusto dei iudicio fuerat excęcatus.

42

Simili modo cum in loco Babenbergensi, ubi prędictus confessor tumulatus fuerat, de canonizatione eius celebris fama haberetur, vir quidam religiosus de signis, que per eum fiebant, cępit dubitare et de permutatione exequiarum, quę in anniversario eius celebriter fiebat, intra semet ipsum dolere. Qui mox oculorum caligine adeo est plagatus, ut postea per confessorem Christi sanatus, quantum sanctitas eius apud deum posset, in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valde, quod de sanctitate tanti viri aliquis dubitare potuerit, cum conversationis sanctitatem, castitatis integritatem, elemosinarum largitatem, humilitatis custodiam et omnia opera iusticię usque in finem vitę suę cum summa devotione servaverit.

Sed sicut scriptum est: Nemo propheta acceptus est in patria sua. Vir ergo prędictus, gravatus defectu luminis, confugit ad patrocinia sanctorum deprecans, ut per eorum suffragia sanitas sibi restitueretur oculorum. Et cum ex dolore

et labore et assidua veniarum incurvatione fatigatus fuisset, lassatum corpus somno reparavit. Cui dormienti sanctus Wolfgangus, eo quod eum familiarem in orationibus suis habuerit, apparuit et ait ei: „Ora confessorem Christi Heinricum, et liberabit te, quia, quod eius sanctitati derogasti, idcirco hęc plaga cęcitatis venit super te." Post hanc visionem expergefactus ex conscientia delicti sui intremuit et ad tumbam confessoris Christi concito gradu et devota mente properavit et procumbens terre a confessore Christi lacrimis et precibus suis excessibus veniam postulavit. Qui statim exauditus et pristinę sanitati restitutus gratiarum actiones deo et sancto Heinrico retulit et magnalia dei, quę circa ipsum deus fecerat, religiosis viris, qui nobis retulerunt, ipse enarravit.

43

Caveant igitur habitatores seculi domesticis dei et civibus sanctorum detrahere, quia necesse est eos hic et in eternum perire, qui sanctorum bonis operibus solent obloqui et invidere. Quamvis ergo nunc tempora miraculorum non sint – signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus –, tamen, cum aliqua nobis preter solitum cursum ordinemque naturę eveniunt, omni veneratione amplectenda sunt, quatenus et ipse, qui mirabilis est in sanctis suis honorificetur, et nostra tarditas ad meliora quęque tantis virtutibus accendatur, prestante domino nostro Iesu Christo, qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat per infinita sęcula sęculorum. Amen.

Cupientes vestre satisfacere dilectioni aliquid de canonizatione predicti sancti volumus describere.

Annuente rege Chonrado ceterisque regni primoribus prelati Babenbergensis ecclesie Romam legatos dirigunt rogantes, quatinus domino papa concedente canonizatio firmetur beati Heinrici, ut, cuius nomen scriptum esset in celis, memoria celebriter ageretur in terris.

Tandem apostolico prescribente canonizatus est in festo beati Gregorii pape. In signum autem canonizationis per eosdem legatos transmisit quedam munuscula, que putabat illis in partibus esse pociora. Illis itaque redeuntibus et tam bonum nuncium reportantibus merces eorum labori rependitur et deo omnipotenti ipsique regi Heinrico a clero et populo gratia cum laude refertur. Consilio autem inito, quid super hac re sit faciendum, differtur usque ad ipsius anniversarium, sed eiusdem ecclesie episcopus, scilicet Egilbertus, domino iubente ad proximum pentecosten viam universe carnis ingreditur, et res supradicta usque ad alium episcopum suspenditur. Anno autem dominice incarnationis M. C. XL. VII° III. Idus Iulii, astantibus et cooperantibus religiosis viris, scilicet Everhardo Salzeburgensis

ęcclesię archiepiscopo, Everhardo Bavenbergensi episcopo, Hartmanno Brixensi episcopo ceterisque multis corpus beatissimi Heinrici de terra sublevatur et honorifice canonizatum inter sanctorum reliquias collocatur. Amen.

Incipit prologus in vitam sancti Heinrici imperatoris

Heinricus imperator primus, dux Bauariorum, imperavit annis XXIIII et quinque mensibus, et permansit regnum vacuum annis duobus. Huius tempore luna versa est in colorem sanguinis. Notandum quod plures sunt Heinrici reges quam Heinrici imperatores. Unde tum legitur Heinricus primus; hic racione imperii dicitur primus, racione vero nominis secundus scribitur. Fuit enim quidam Heinricus ante ipsum rex. Huius autem Heinrici imperatoris uxor fuit sancta Kunegundis, et ambo virgines permanserunt et in ecclesia Babenberg, quam edificaverunt, choruscando miraculis multis ibidem clari requiescunt.

Hic enim Heinricus primus, dux Bauarie, ab omnibus principibus Bauarorum in imperatorem electus multa bella prospere gessit in Germania et Ytalia. Postremo volens soli deo vacare episcopatum Bambergensem fundavit. Regi autem Ungarorum Steffano suam Geysilam dans in uxorem tam ipsum quam totum regnum suum ad fidem convertit.

Tempore huius sancti Heinrici papa Benedictus nonus nacione Tusculanus ex patre Alberico sedit annis XIII. Iste eiectus est de papatu, et factus est papa Sabinensis episcopus, qui vocatus est Silvester secundus. Et iste quoque est eiectus et

datus est papatus Iohanni archipresbytero sancti Iohannis ante portam Latinam, qui Gregorius VI. dictus est. Et habit‹o› papatu, cum esset rudis litterarumque ignarus, alterum papam ad vices ecclesiastici officii ad exequendum secum consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tercius superinducitur, qui solus vices duorum implevit. Uno itaque contra duos et duobus contra unum de papatu altercantibus et mortuo Gregorio Heinricus rex tercius contra duos Romam tunc accedit et eis canonica et imperiali censura depositis Swydegerium Bambergensem episcopum, qui Clemens secundus dictus est, in papatum per vim substituit; a quo Heinricus imperator secundus in ecclesia Later‹a›nense coronatus Romanis tunc sibi promittentibus se sine ipsius consensu numquam Romanum pontificem electuros. Ipse vero Clemens papa predictus non inmemor honorum et beneficiorum multorum ac pie fundacionis inclite ecclesie Bambergensis, sponse sue primarie, de Roma scribens et ipsam ecclesiam sponsam carissimam, amicam dilectissimam, sororem speciosissimam denominans variisque et multiplicibus donis spiritualibus enim privilegiis eam insigniens decoravit, ditavit ac commendavit. Ipse autem Clemens CLIIIus papa a sancto Petro apostolo sedit Rome annum unum, menses septem et dies VII. Tandem Rome defunctus et per Ytaliam ad Bambergensem ecclesiam perductus ibidem honorice est sepultus.

Incipit prefacio in legendam sancti Heinrici.

Fuit dux Saxonie Luitolfus nomine, cuius filius fuit dux Otto. Hic habuit filium, qui vocabatur Heinricus humilis, et filiam Babam nomine, matrem Adelberti Babenbergensis, de cuius nomine idem mons Babenberck dictus est. Quem ob necem fratris sui Conradi decollaverat Ludewicus imperator. Et Ludewico mortuo sine herede Conradus, occisi fratris Conradi filius, in regno instituitur, qui adolescens mortuus finem fecit Karolorum. Mortuo sine herede Conrado universi primates convenerunt et ipsum Heinricum humilem coronaverunt. Duxerat iam autem Mechthildam sancte conversationis feminam, ex qua genuit Ottonem magnum et Heinricum ducem Bavarie. Otto magnus genuit Ottonem ruffum. Otto ruffus genuit Ottonem puerum. Heinricus dux Bawarie genuit Heinricum ducem. Hic Heinricus genuit Heinricum Babenbergensem. Otto enim imperator, dum Rome obisset sine herede adhuc adolescens, eductus est et Aquisgrani sepultus.

Anno igitur dominice incarnationis millesimo primo Heinricus secundus culmen regni adeptus annis XXIII ac mensibus quinque regnavit, XII sub nomine regis, XI sub nomine imperatoris, soli deo militans, cuius miliciam se gerere intelle-

xit. Hic inter gesta Bohemiam subiugavit, totam Pannoniam per sororem suam Gyselam ipse christianam fecit, Apuliam a Grecis vi oppressam ipse eripuit, Troiam novam ipse destruxit, Capuam, Salernam, Beneventum ceterasque civitates a Grecis iam obsessas huic regno inclitus bellator restituit. Hic inter alia pietatis opera episcopatum Babenberck in honore sancti Petri sanctique Georgii constituit tantumque ipsum prediorum diviciis et omni ornatus decore, ut inpresentiarum cernitur, copiosissime ditavit. Hic, dum sciret se prolem moriturum non habiturum, quippe qui, ut verissime dicitur, consortem regni Kunegundam numquam cognovit sed ut sororem dilexit, terrena in celestia utpote mercator ewangelicus commutavit. Hic anno incarnationis domini millesimo XXIIII., III. Ydus Iulii, mundi perfectionis exemplar relinquens ad celos regnaturus perhenniter remeavit.

Post obitum vero Heinrici cognomento pii Conradus, ex regni primoribus unus, regnum suscepit et XV annis regnavit. Hic Heinrico imperatori, filio suo, quem ex Gyselam de Liutpurck genuerat, promotionem Spirensis episcopatus commisit in extremis. Heinricus igitur, Conradi filius, eundem episcopatum magnifice exaltavit. Cuius cepta opera Heinricus misericors et pater pauperum patrum desideriis satisfaciens perfecit, qui ibidem in domino requiescit. Hic Heinricus, quartus ab humili Heinrico, reliquit Heinricum, qui adhuc adolescens a Paschali papa ordinatus imperium gubernavit.